ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: GREGORIUS MAGNUS. PS. MARCILIA. PS. BOTO PRUVENINGENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 62r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36542
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



At contra admonendi sunt inconstantes ut mentem grauitate roborent; Tunc enī germina in se mutabilitatis arefaciunt cum a corde prius radicem leuitatis abscidunt. Quia et tunc fabrica robusta construitur cum prius locus solidus in quo poni fundamentum debeat prouidetur. Nisi ergo ante mentis leuitas caueatur cogitationū inconstantia minime uincitur; A quibus alienum paulus se fuisse perhibuit cum dicit. Numquid leuitate usus sum aut quę cogito secundum carnem cogito ut sit apud me ē et non. Ac si aperte dicat; Ic circo mutabilitatis aura non moueor quia leuitatis uitio non succumbo. xx

ad corinthios

Aliter admonendi sunt gulę dediti atq; aliter abstinentes. Illos enī supfluitas locutionis leuitas operis atq; luxuria istos uero sepe in pacientię sepe uero supbię culpa comitatur. Nisi enī gulę deditos in moderata loquacitas raperet diues ille qui epulatus cottidie splendide dicitur in lingua grauius n̄ arderet dicens. Pater abraham miserere mei et mitte lazarum ut intinguat extremū digiti sui in aquā ut refrigeret linguā meā quia crucior in hac flamma. Quibus profecto uerbis ostenditur quia epulando cottidie crebrius in lingua peccauerat qui totus ardens refrigerari se precipue in lingua requirebat.